

Heinrich Rahn

**Decanus Facultatis Iuridicae In Academica Rostochiensi Henricus Rahne/ I. U. D.
& Prof. suo & Dominorum Collegarum, ICtorum nomine ad Inauguralem
Disputationem, Quam ... Dn. Melchior Albrecht Reichardts/ Hannoveranus ad
diem 25. huius mensis Iunii publice habebit, Magnificum Dn. Rectorem, Dnn.
Professores, Doctores ... officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766448967>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.

216.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



34

DECANUS

FACULTATIS JURIDICÆ

in Academia Rostochiensis,

HENRICVS *Rahne* / J. D.

& Prof.

suo & Dominorum Collegarum,

Jctorum nomine

ad

INAUGURALEM DISPUTATIONEM,

Quam

Pro summis in utroq; Jure honoribus, & privilegii obtinendis

DN. MELCHIOR ALBRECHT

Reichardt / HANNOVERANUS,

ad diem 25. hujus mensis Junij

publicè habebit,

Magnificum Dn. RECTOREM,

Dnn. Professores, Doctores, verbi Divi-

ni Ministros, Magistros, Studiosos, omniumq;

ordinum Cives Academicos, cæterosq; literatos

& literatorum amatores officiosè

invitat

✻(**)✻

ROSTOCHII,

TYPIS NICOLAI KILII, Academia Typogr.

ANNO M. DC. XLVII.



L. B. S.



Trenue haectenus laboravit juris arti-
umq; scientiã perpolitus Vir MELCHIOR AL-
BRECHT Reichardts/HANNOVERANUS, ut opes
ejusmodi sibi compararet, quæ, navifractâ, simul
cum domino possent enatare. Quippe qui novit,
Deum sua bona vendere laboribus: & quod citra
pulverem nihil. Gestit omnia perpeti ipsa cognitione & doctrinâ cap-
tus, atq; cum maximis curis & laboribus compensare eam, quæ ex
discendo hauserat, voluptatem; ne tandem barbarus ex trivio audiret
nec sibi nec aliis utilis. Extant hujus rei testimonia sat luculenta, binæ
Disputationes, quas pridem in Academia Julia eruditorum
examine publicitus subjecit: *una de Institut. & substit. altera de Do-*
minio. Ut autem cursum benè cæptum rite conficeret, justitiæ Sacer-
dotibus annumeraretur, & summos in Utroq; Jure honores capesseret,
stetit se nostræ Facultati, ad periclitandas ingenij sui vires, studiorumq;
profectus investigandos: ubi æquis suffragiis Candidatus gloriæ & di-
gnitatis judicatus est. Nunc animus ipsi est prodire in publicum & o-
mnium calculum mereri. Non nescit quidem periculosum & diffici-
le esse, uni, etiam si Hercules sit, cum duobus contendere, difficilius, imò
difficilimum cærtare cum multis. Verùm necessitas, cui parere sapientiæ
est, ipsum temeritatis absolvit; tempus, cui inserviendum, & consuetu-
do, quæ vim legis habet, excusant; benevolentia illorum, vel quibus cum
dimicaturus est, vel qui pugnæ spectatores erunt, ei animum addunt;
spes atq; cupiditas gloriæ, quam contemnere angustæ ac demissæ men-
tis est, metum excutiunt: & deniq; innatus vigor, qui non permittit,
ut sit deneger, & Patri viro optimo & Jcto excellentissimo dissimilis
filius, secundum illud *Fortes creantur fortibus & bonis*, ipsum in laudabili
proposito confirmat. Tot igitur impulsus causas, tot incitatus rationibus,
tot instructus armis in arenam descendet, & ipse certaminis materiam

Universitäts
Bibliothek
Rostock

18

in medium producet DISPUTATIONEM DE APPELLATIONIBUS.
De quibus uti libet, ita liceat nobis quædam fari. Appellandi usus quam sit frequens, quamq; necessarius, nemo est, qui nesciat: quippe cum iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat: licet nonnunquam benè latas sententias in pejus reformet, neq; enim semper melius pronuntiat, qui novissimus sententiam laturus est. Non tamen hoc facillè præsumatur de magistratu, præsertim superiore, aut de summo Principe, qui jugis omnis jurisdictionis fons est, & Dei justissimi vices in terris gerit. Quam frequens autem hodiè est Appellationis usus tantus ejusdem extat abusus: adeò ut usurpatio vix consistat nisi inabutendo. Olim longe secus se res habuit. Erant personæ quorum appellationes non recipiebantur: erant sententiæ, quæ provocationem non admittebant. Causa sine dubio fuit, quod

*Justitia calo missa cum sancta fide
Terras regebat mitis, humanum genus
Non bella norat, nec tubæ fremitus truces.*

Nunc verò temporis, postquam

*Neglecta terras fugit & mores feros
Hominum cruenta cade pollutas manus
Astræa virgo. Atq;
Collecta vitia per tot atates diu
In nos redundant.*

Vitium quoq; est jus Appellationis, seu Provocationis. Cum hoc rerum turbine turbata sunt judicia, cumq; hominum perversitate improbà omnia divina & humana perversa jacent. Attendi debebat illud Innocentii. Ill. Appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentia institutum. Debebat, dicimus, hoc sedulo attendi, sed vix ac ne vix locum invenit: vix ad aures admittitur, tacemus ad animum. Livius duas libertatis in Rom. Rep. tuendæ statuit arces, Tribunitium auxiliū & provocationem, Eo quod appellabantur Tribuni contra vim magistratum, Unde receptum institutumq; fuit, ut nec no-

Et nec die eorum domus clauderentur, sed paterent semper tanquam portus & per fugium auxilio indigentibus. Sint & hoc seculo, ac manent curiæ Principum apertæ de inferioris judicis vel culpâ vel imprudentiâ conquerentibus: sint dicasteria aræ sacræ ac salutaris periclitantibus: sint Præsides in recipiendis provocationibus faciles, quemadmodum Valentinianus, qui licet à Salustio Præsfecto Prætorio designatus esset Imperator, nihilominus tamen edicto proposuit, ut si cuiq; à Salustio, à quo non appellabatur, facta esset injuria, is se rectâ conveniret. At non ita faciles sint & prompti, ut iniquitas triumphet, & innocentia succumbat, aut malitiæ applaudatur & supprimatur probitas. Utinam nostra Resp. ita esset comparata, ut seu Aristidis alicujus justitiâ, seu Trebonij cujusdam humanitate efficeretur, ne reperiri possent, à quibus initium appellandi nasceretur. Verùm cum id mortalium, inter quos vivimus, nævi non admittant, curandum est, ne injustitia habeat patrocinium in provocatione, ne promiscuo appellandi modo ac usu publica salus labefactetur, ne cives facultatibus suis priventur & ad incitas redigantur, ne injuriam patiantur infantes, atq; iniquis decretis in tantas cogantur angustias, ut vel ex imbecillitate humana, vel ex impatientia ad vallem Josaphat, seu tribunal Dei provocent, non sine periculo judicis terreni. Exempla ejusmodi appellationis sunt obvia. Unum atq; alterum in medium adferre placet. Ecquid aliud est quam appellatio ad thronum supremi judicis illa Davidis ad Saulem, persecutorem suum, prolata locutio: *Judicet Dominus inter me & te, meamq; vicem ulciscatur?* & ista Zachariæ, cum jussu Joas regis interficeretur: *Videat Dominus & requirat?* Scribunt Historici: Ferdinandum III. Hispanorum Regem justissime duos nobiles, perduellionis in simulatos, ex turri vel rupe præcipitari; illos constanter crimen negasse, quod quia videbant se frustra facere, tandem ad divinum tribunal provocasse, regi q; denuntiasse, ut ibi ante diem tricesimum sese sisteret: Ferdinandum q; die ipso tricesimo in facta, cum dormire crederetur, sat subita concessisse. Apud Westergothos Johannes Turso quendam capite mulctare mandavit, is genibus innixus, en morior injustè, inquit, te q; voco hâc horâ ad tribunal DEI, ut respondeas, cur me innocentem morte condemnes. Vix miser ille carnificis manu obruncatus fuerat, cum etiam judex equo corruit exanimis, In Liguria, parte nota Italiæ, Genuenses triremes adversus piratas

piratas emissæ biremem Cotholanum cepere, & in Siculorum Cotholanorumq; contemptum, extra Drepanum, noctu rectorem biremis hic furcæ affixerunt. Misellus hic diu frustra questus, nihil unquam se Genuensibus nocuisse: ut verò vidit plus gentis odium illos, quam æquitatem movere, præcipuamq; mortis causam esse trierarchum Genuensem, voluit, ut ille intra sextum mensem ante Deum iudicem compareret. Nec irrita fuit vocatio. Condicto Ligur termino obiit. Tempore Henrici IV. Rom. Imp. Burchardus Episcopus Halberstadenſis & Meghenerius, Herfeldensis Abbas, de juribus Ecclesiarum litigantes, invicem ad tribunal summi Prætoris provocarunt, & ambo repente ex hoc seculo migrarunt, Sic Henricus Galliarum Rex Julio III. ad Deum ultorem provocante, sponndit se pro tribunali Dei ad futurū; cæterum certò se scire Pontificem vadimonium cum litigio deserturum. Vix quispiam reperitur, cui sit incognita Templariorum exstirpatio, quæ anno 1312. consilio ac ope Clementis V. Pontificis, & Philippi pulchri Franciæ regis peracta est. Ex his unus, Neapolitanus eques, traditur ita ad iudicium, cæleste appellasse: Sævissime Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortales nullus jam superest, ad quem appellem, pro gravi morte, quâ me per injuriam afficis, ad justum iudicem Christum, qui me redemit, appello, ante cujus tribunal te voco, unâ cum Philippo Rege, ut intra annum diemq; illic ambo compareatis, ubi causam meam exponam & jus sine ullo pravo affectu administrabitur. Ad hæc induciis nondum elapsis Clemens subitanæ morte abreptus est, nec multò post Philippus quoq; interiit. Et sanè vero verius dixit Eques à iudicio supremo abesse affectus. Ibi enim secundum Antiquorum rhythmos,

*Judicabit iudices iudex generalis
 Atq; nihil proderit dignitas Papalis,
 Sive sit Episcopus sive Cardinalis.
 Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
 Ibi nihil proderit quicquam allegare,
 Neque quid excipere, neq; replicare:
 Nec ad Apostolicam sedem appellare.*

A 3

Hic

*Hic non erit Codici locus, nec Digestus;
Idem erit Dominus, iudex, actor, testis.*

Sed satis de cælesti arbitro, ad mundanos revertimur, & dicimus, eundem ab eodem non rectè appellari. Peccavit in eo Cossutianus Capito, qui, cum reus ab eo jus dicente provocasset, statim in sellam excelsoiorem transcendit, atq; ita edixit: Age, nunc dic causam apud Cæsarem, eumq; causam denuò cognitam, damnavit. Cujus superbiæ, insolentiæ, atq; iniquitatis apud Galbum poenas dignas luit. Quamvis autem appellatio ab inferiore ad superiorem fieri soleat; etsi à Principe, iisvè, qui summam potestatem habent, non appelletur: sunt tamen, qui non improbant, si communem extra regulam & ordinem interdum à Cæsare male informato ad eundem melius informandum provocetur. Quo genere provocandi usus est anno 1560. Ludovicus Borbonius. Princeps Condæus, ad evertendam sententiam, quam Franciscus II. Rex Franc. in Senatu causam pensatâ tulerat, Sic Lutherus apud Sleidanum à Pontifice minus edocto provocat ad Pontificem rectis edocendum. Idq; ad exemplum faminae, quæ, à Philippo Rege temulento iniquè damnata, ausa est à Philippo ad Philippum ipsum magis sobrium appellare. Excussit crapulam oscitanti, ac præsentianimo ebrium respicere, causamq; diligentius inspectâ justiore sententiam ferre coëgit. Plutarchus non faminam, sed virum fuisse putat, & sic rem commemorat: Judicio Philippus præerat Machætæ cujusdam, dormitansq; non observabat, quibus ille juribus se tueretur, ideoq; condemnabat: tum exclamante Machætâ, se provocare: iratus, ad quem, inquit, provocas? Ad te ipsum, ait ille, ô Rex, si quidem vigilans, & attentus audias. Ibi excitatus Philippus cum ad se rectius rediisset, sentiretq; injuriam Machætæ fieri, non rescidit quidem sententiam, sed multam reo imperatam de suo persolvit. Profectò multa retractarentur, si vel iidem iudices alterâ actione de eadem re cognoscerent, de qua primo isto, quo sæpe utimur, tumultuario, præcipiti, & quasi inconsulto iudicio pronunciarunt. Nam non rarò satis per se immatura, neq; adeò benè concocta sunt nostra iudicia. Interdum Advocatus aut minus instructus venit ad dicendum, scribendumvè; aut alter altero est frequentior, eloquentior & argutior: hic narra-

tioni,


tioni, ille contentioni, confutationivè aptior: ipsi etiam iudices non
 nunquam aliud agunt, vel obdormiunt: aliquando, quod periculosum est,
 Prætor ipse difficilior morosiorq; existit. Quid igitur faciendum?
 Præcipitatio vitanda est: imitandus Cn. Octavius, apud quem, quoties
 quisq; voluit, dixit & quàm voluit diu. Patientem enim, facilem,
 quietum & omnia religiose inquirentem se præbeat, oportet, cum
 ingenio tamen, gravitate & severitate, ne contemptibilis videatur,
 qui scit se postremo iudicare. Præter hæc non tam jus strictum sem-
 per, quam æquitatem ante oculos habeat. Siquidem inter eos, qui adhi-
 bitâ, & qui semotâ appellatione cognoscunt; quibus inferior vel supe-
 rior est potestas in iudicando, hoc interest, quòd illi legem, ut scripta
 est, sequuntur, neq; inter jus & æquitatem facta dispiciunt, hi æquitis
 & humanitatis ratione à stricto ac summo jure sæpius deflectunt, mi-
 norumq; magistratum sententias reformant, non quod non aliquan-
 do rectè & ordine judicant: sed quia vel æquitas, vel utilitas ipsa aliud
 postulat, uti Dinarchus de Polyucto refert. Tanto erant odio Mega-
 renses Atheniensibus, ut edictum promulgarent: Capitale esto, si quis
 Atheniensis Megaram, aut Megarensis Athenas pedem intulerit. Pla-
 cuit quippè invicem nullum jus, nullum commercium esse: cum
 itaq; Polyuctus ivisset Megaram, & propterea vocatus in iudicium, fa-
 ctum non negaret; sed se idè illuc contulisse diceret, ut Nicoclem, cum
 quò mater erat, viseret, & quia ibi exulabat, aliquid ei solatij præberet,
 nihilominus sanè eum damnaverunt Areopagitæ. Nam quiseam
 causam non perpetuò obtenderet? At populus eum ex æquo & bono
 absolvi iussit, quem iudicabat miseratione atq; pietate magis Megaram
 venisse, quam dolo malo, consiliiq; cum exulibus adversus Remp.
 capiendi, participandivè causâ. Simili ratione absolvi potuit Euclides,
 qui sub crepusculum vespertinum tunicâ longâ ac muliebri indutus, ore
 & capite velato, Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut philo-
 sophiam disceret, rursusq; sub lucem eadem veste revertebatur. Hu-
 cusq; de Appellationibus dixisse sufficiat, reliqua exponet DISPU-
 TATIO INAUGURALIS Domini Candidati, quâ ad diem XXV hu-
 jus Mensis habebit. Te igitur, Magnifice Dn. Rector & Vos, Domini Pro-
 fessores, Doctores, Concionatores, Magistri, Studiosi, ac omnium ordinû
 Cives Academici, literati atq; literatorum Fautores, comiter appellamus
 & ob-

& obnixè rogamus, ut *de Appellationibus Disputantem* benevolâ ani-
mi propensione complecti, benignis auribus auscultare, & amico
colloquio probare non dedignemini. Non speramus vos nobis il-
lud officii beneficii; genus denegaturos. Quod si verò vestrorum
laborum multitudo, & curarum privatarum moles minimè permi-
serint id obtinere, ad humanitatis & facilitatis vestræ solium provoca-
bimus, nulli dubitantes, quin ibi sententiam, votis ac precibus nostris
congruam simus consecuturi; atq; simul experituri vestram in nos
benevolentiam & æquanimitatem. De grata Domini Candidati me-
moriam, cum summam illam virtutem existimet, non est quod ambi-
gatis. Quod opere non poterit compensare, voce, dum vixerit, prædica-
bit. Neq; nos commitemus, ut in illo, quod bene merentibus debetur,
jure ac meritò nos quisquam reprehendere queat. P. P. die XIII.
Junij ANNO dō Ioc XLVII. sub sigillo Facultatis Juridicæ, quæ est
Rostochij, ROSTOCHUM uti olim, teste Lindenbergio, fuit (heu fuit!)
ita DEO dante & adjuvante reflorescat, sit ac maneat usq; ad finem
seculi,


*Vandalia lumen, Phœbi rosa, balsamus Ansa,
Sortis & omnigenis condecorata bonis.*







the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-
 mune Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumento intercessionum, quas
 impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniam
 emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 am poenam temporalis relegationis in-
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
sequenti num. 41. adducit exem-
plum assumpto nomine Advocati cujus-
dam publicè jactaverat, quem postea
Senatus virgis coedi, & exilio
condemnavit & huc exempla relata à Valer.

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosque scripto-
 rum inter quae notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 tentem concubuit. Plura vide apud *Johannem*
Corac.

B 3

Corac.